Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1053
Quelle:
Copyright:

dini *Minor.* et *medio aevo* adſcribit. Ceterum *Codex* noſter complures lectiones diverſas et ſaepe frugi ſubpeditat. Ita Goldaſt. *cuncta ſtarent elementa.* Noſter: *coactum maris ſeruiret elementum.* Gold. *itineris neceſſitatem infatigatis.* Sirm. *infatigatus.* Noſt. *itineris neceſſitate fatigatus.* Gold. *Luna — damna effugiat.* Noſt. *ſentiat.* Gold. *Quid autem rationabilem animam — expediat.* Noſt. *expectet* &c.

XXXII. *fol.* 198. *De Prelatis. De Juſticia Principum. De Pacientia. Quod Principes Legibus teneantur.* Singulare, quod in *Goldaſtiano* etiam Codice *Capita* haec continuo *Valeriani Sermonem* exceperint, qui cum ita finiat: *ſequenti tempore diſſeramus*, et materia ipſa congruat, facile induci quis potuerit olim, ut et haec de Principum officiis Placita *Valeriano* adſcriberet. Sunt vero *Iſidori Hiſpal.* apud quem L. III. *Sentent. Capita* XLVIII — LI. conſtituunt. Vide *Goldaſti* Editionem (Genevae) apud *Petr. de la Rouiere.* 1601. p. 23. 8. et *Jac. du Breul Pariſ.* eod. an. p. 684. f. quorum utramque cum noſtro *Cod.* contendere non inutile fuerit futuro *Iſidori* editori.

Inſunt praeterea *Codici* Schemata II. *Alphabetico - Arithmetica*, quorum primo *p.* 1. Literarum Graecarum Nomen, Figura, Valor numericus, et comparatio cum Latinis exhibetur. Figura κοππα ad deſignandum numerum 90. hic *Quo* audit et per Y ſed absque puncto impoſito exprimitur. Numerus 900 figuram Ϡ. et 1000. vocem *Mennacuſe* ſubjectam habet. Alterum Schema *fol.* 73. p. 2. Numeros vocibus et literis *Rom.* ab *Unitate* usque ad *Mille milia* enunciatos complectitur, ſubjecta gemina hac Regula: *Litera numeralis minus ſignificans ſi preponitur tantum demit de ſequenti quantum in ſe habet. Litera numeralis cui titulus* (id eſt lineola —) *ſuperſcribitur tranſit in millenarium numerum.* Tantum de inſigni hoc Volumine, quod olim *Coenobii S. Mariae Chotwich* ſeu Gottvicenſis O. S. B. in Auſtria fuit.

CCLXXXIV. VII. D. 4

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 216. f. per duas columnas nitide exaratus et rubricis ornatus complectitur I. *Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis* Scriptoris Sec. XI. opuſcula hoc ordine: 242

Fol. 1. *Incipit prefacio libri monolagij anſelmi archiepiſcopi cantuar. Quidam fratres ſepe me ſtudioſeque precati ſunt* &c. Finis: *ſed ſolus deus ineffabiliter trinus et vnus.* Extat in edit. *Opp.* a *Gabr. Gerberonio* curata *Pariſ.* 1721. f. p. 3. iſtud *Monologium.*

Fol. 20. *Incipit prefacio libri proſologyon beati anſelmi cantuarienſis archiepiſcopi. Poſtquam opuſculum quoddam uelud exemplum meditandi* &c. Finis: *donec intrem in gaudium domini mei qui eſt*